

*Christus suscitatus ex mortuis
iam non moritur.*

Léctio Epístolæ beāti Pauli apóstoli
ad Romános

6, 3-11

Fratres:

- ³ Ignorátis
quia, quicúmque baptizáti sumus in Christum Iesum,
in mortem ipsíus baptizáti sumus?
- ⁴ Consepúlti ergo sumus cum illo
per baptísmum in mortem,
ut quemádmódum suscitátus est Christus a mórtuis
per glóriam Patris,
ita et nos in novitáte vitæ ambulémus.
- ⁵ Si enim complantáti facti sumus
similitúdini mortis eius,
sed et resurrectionis érimus;
- ⁶ hoc sciéntes
quia vetus homo noster simul crucifíxus est,
ut destruátur corpus peccáti,
ut ultra non serviámus peccáto.
- ⁷ Qui enim mórtuus est,
iustificátus est a peccáto.
- ⁸ Si autem mórtui sumus cum Christo,
crédimus quia simul étiam vivémus cum eo;
- ⁹ sciéntes
quod Christus suscitátus ex mórtuis iam non móritur,
mors illi ultra non dominátur.
- ¹⁰ Quod enim mórtuus est, peccáto mórtuus est semel;
quod autem vivit, vivit Deo.
- ¹¹ Ita et vos existimáte vos mórtuos quidem esse peccáto,
vivéntes autem Deo in Christo Iesu.

Verbum Dómini.